



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de
Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1675

Conclusio Operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)

CONCLUSIO OPERIS.

Hic tandem sistendus calamus, quem prudens scriptiōni hujus Summæ Theologicæ admoveram rationibus in Præfatione ejusdem declaratis. Illud tantum addo, conscientia meâ me subnixum & contentum, judicio & amore veritatis, majorisque studiorum utilitatis posuisse quæ potui, neminem tangere voluisse. Errores tetigi non personas, quas non tangit S. Mater Ecclesia. Si tamen secus quis interpretari volet & suspicari, is planè morbo prævæ opinionis laborat. Si etiam à recto fidei tramite deviantibus juxta ejusdem regulam à me dicta displiceant, contemno: quin immo laudi duco, displicere malis. *Neque enim* (ut præclare dixit Martyr *Cyprianus Epist. 52.*) *possunt laudare nos, qui recedunt: aut expectare debent, ut placeamus illis, qui nobis displicentes, & contra Ecclesiam rebelles, sollicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistant.* Verum tamen imbecillitatis humanæ conscius, libenter agnosco, me in multis errare potuisse. Quamobrem desidero in omnibus, non modo benignum Lectorem, verum etiam severum & liberum Correctorem, immo & reprehensorem. *Nullus enim* (inquit *Augustinus l. 2. de Trinit. in Præfat.*) *reprehensor formidandus est amanti veritatis.* Potissimum verò judicio & censura Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ omnia scripta scribendave cupio esse subjecta: à cujus doctrina & sensu ne ad latum unguem discedere animo fixum semper Deo opitulante manebit.

F I N I S.



INDEX